



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum VI. Si hæredes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

non posse, sed Episcopum injuriam inferre, atque contra Dei legem peccare, quando res alterius Ecclesie prætextu ejus legati denegat.

CAPITULUM VI.

Si hæredes.

PARAPHRASIS.

Hæres jussu testatoris implere neglexerit, ab Episcopo loci interdicenda ipsi est omnis res illi relicta, unâ cum fructibus, & emolumentis, ut hac ratione vota defuncti impleantur.

SUMMARIUM.

- 1. Hæres voluntatem defuncti implere negligens, quam pœnam incurrat, post judicis admonitionem?
- 2. Ad quem talis hereditatis emolumenta postea pertineant?

Notandum primum. Si hæres voluntatem defuncti implere negligat, post judicis admonitionem, arcendus est ab hereditate, ita, ut nihil commodi ex rebus defuncti percipiat. Ita explicat *Barbosa hic* & sumitur ex *L. si patroni 55. §. sed sine ff. ad S. C. Trebellianum.* ubi, cur non videatur indignus, qui destruit supremas defuncti preces, ut consequatur aliquid ex voluntate? Expressius habetur in *authent. hoc amplius C. de fideicommissis* & in *authent. Ecclesiasticis titulis §. si quis autem pro redemptione &c. versiculi si autem, collatione 9.* ubi indicatur alteram admonitionem permitti debere.

Pro majore intellectu adverte primò. Hæres post aditam hereditatem, cum primum potest, & sine mora legata solvere, & alia jussa exequi debet, atque ad hoc à judice cogi potest. *L. cum res 47. & L. si domus 71. §. in pecunia ff. de legatis. 1.* Quòd si verò toto anno exequi negligat, pœnam privationis incurrit, uti videre est apud *Sylvest. v. testamentum 2. q. 6. Molin. tra. 2. disp. 251. n. 7. & habetur in cit. authentici.*

Secundò. Pœna hæc privationis non tantum hæredi, sed etiam cuicumque executori jure decreta est, si jussa non adimplerant, dummodo de facto, & de jure possibilia sint, quia ratio legis: *si patroni.* generalis est. Et consentit *c. tua 17. & ibi DD. hinc tit. Covar. hic n. 4.*

Tertiò. Pœna privationis ipso jure incurritur, licet ad ejus executionem judicis declaratione, & condemnatione opus sit, teste *Covar. hic n. 8. & docui lib. 3. tra. 5. c. 11. n. 13.*

Notandum secundum. Judex Ecclesiasticus compellere potest hæredem, & executores alios, etiam Laicos, ad defuncti jussa & legata præstanda, præsertim si pia sint. juxta *authent. de Ecclesiasticis titulis cit. v. si autem & cit. c. tua.* ubi de hoc dicitur.

Quæres; si hæres, vel executor propter negligentiam privatus sit, ad quem executio, & emolumenta provenire debeant. Respondeo, & dico primò. Si testator ipsemet in casu negligentie disposuit, aut quempiam substituit, id servari debet, sicuti docet *Sylvest. loc. cit. q. 11.* ubi bene admonet, licet testator non possit imponere pœnam hæredi, vel executori, cum in eum jurisdictionem non habeat; posse tamen adimere ipsi sub nomine pœnæ, quæ eidem reliquit. Quare erit hæc pœna veluti conditionalis, quæ etiam in conscientia obligat, uti docui *lib. 3. tra. 4. c. 30. n. 6.*

Dico secundò. Si quidpiam ad piam causam dandum, vel exequendum sit, Episcopus succedit in executione. *authent. licet c. de Episcopis, & Clericis,* ubi etiam dicitur, quòd Episcopus vindicare possit commoda hæredi, vel executori relicta, quibus ob negligentiam privatus est.

Dico tertiò. In relictis ad causas profanas, cui executio & emolumenta deferri debeant, videri potest *authent. hoc amplius c. de fideicommissis,* & tradit *Imola hic n. 13.*

**

CAPITULUM